Wresnani Barthol: Icopocia nuptialis
Nicolai Stradomski ducentis in uxorem
Catharinam Bonka etc.

ICOPOEIA NVPTIALIS
Nobilis & Generosi Domini,
DOMINI NICOLAI
STRADOMSKI,
ducentis in vxorem
Nobilem & Generosam
CATHARINAM
Virginem Filiam
ILLVSTRIS AC MAGNIFICI D.
DOMINI IACOBI
PSONKA à BABINA,
Viri antiquâ fide, morum suauitate, doctrinę præstantiâ excellentissimi:
Sponso & Sponsę tum parentibus vtriusque.
data, dicata, oblata.
VI. CAL. DEC.

A MAGISTRO BARTHOLOMÆO WRESNANO,
In Academiâ Cracouien: Collega Minore & Professore.


CRACOVIÆ,
In Officina Basilij Skalski, Anno Domini,
1617.

In Arma Generoſi Domini,
DOMINI NICOLAI STRADOMSKI,
Ex Familia Pruſſorum.



Corpore ſtat toto Crux, cum mediaq; ſecundâ
Quam rigido munit deſuper enſe manus.
Iſthæc Antiquæ ſunt arma STRADOMSCIA *gentis:*
Immenſum Sanctæ Crux pietatis opus:
At manus enſe potens rigido, ferroq; , valentis:
Hac regnat pietas, robur et vſq; domo.
An non rite dabis genti gladiumq, manumq;
Quod bene de Patria quiſq; meretur, habet.

In Stemma Illuſtr: Domini,
DOMINI IACOBI PSONKA,
Ex Gente Ianinarum.



IN campo terſus clypeus ſplendeſcit aperto,
Ardens Vulcani crede laboris opus.
Virtutem notat iſte rigor, ſplendorque metalli,
PSONCIA quâ valde, floruit vſq; domus.
Pro patriâ PSONCAE quid non fecêre ſuâui?
Aut quid pro ſacrâ relligione Dei?
Teſtis adeſt clypeus, qui Patria iura tuetur:
Sub clypeo, Regni pax latet, atque fides.

AD SPONSVM DEDICATORIVM.

QVæ nostris animis ridens Icopœia vultu
Surrexit, tibi eam Sponse nouelle dico.
Maiorum tabulas animo percurre libenti,
Et proprios vultus inspice, teque vide.
Parua fero, donoq; tibi Præclare STRADOMSKI,
Sed tamen est virtus commemorasse bonos.
Cōmemorasse bonos homines, est maxima virtus;
Dum memor hæc recolit mens, bona cūcta bibit.
Ergo manu capias lœtâ, qui Pallada doctam
Longo tractasti tempore, mentis opus.
Hoc Tellus oculis vidit Germana decoris,
Et mirata tuum sæpiùs ingenium.
Spes bona me pascit: nam quid spe certiùs vsquā (est?
Omnia cum pereunt, spes tamen ipsa manet.

AD PATREM SPONSÆ.

ME procul hîc Musę Craci sub mœnibus altis
Vsque tenent, verum mens procul ire iubet.
Mens procul ire iubet, varios & visere mores
Ignotę gentis, Sarmaticæq; domus.
An mirum dicas? Hoc mens humana requirit:
Viuit homo, alterius si videt ingenium.
Inspice PSONCA grauis, dat quos Icopœia vultus:
Namq; tuos videas, lœtus & esto videns.
Hercle voluptatem proprij dat sanguinis ortus,
Et morum integritas, quam tabulę ecce ferunt.
Ergo tibi sit SPONSAE Icopœia grata Parenti:
Hanc tibi do, dono, suscipe PSONCA libens.

Icopœia

ICOPOEIA.

POETA.

SPonsa tibi thalamum castis subitura iugalem,
En pedibus præsto Sponse nouelle venit.
Nec fugiet similis Daphne, nec in alitis ora
Vertetur, vultum vult retinere suum.
Effundas animos hilares in gaudia læta,
Atque legas oculis, quę fero picta tuis.
Picta fero, paries capit; hac sub imagine cernes,
Quod decet egregij pectora casta viri.

Imagines Psonciæ stirpis.

I. Proauorum.

SArmatię Tellus claros cognomine PSONCAS
Fert gremio, Regni pulchra decora sui.
His fuerat semper fido Respublica cordi,
His pax, Relligio, candida simplicitas:
His amor & pietas, odium quoq; criminis atri,
Aspice nunc proauos, nunc atauosq; domus.
Ordine virtutem videas, moresq; vetustos,
Et faciem, & vestes, hæc dat imago prior.
His Catharina suis Maioribus orta virago,
Sed reliquis non est gloria crede minor.

II. Parentum.

SPlendescit propiùs clari Genitoris imago,
Et charę Matris, qui legis, ora vides.
Virtus corde latet. Quid dico? Cognita cunctis,
Sæpiùs exsilijt; ceu vaga flamma solet.

A

Hospitibus

Hospitibus notum, qui PSONCIA tecta subintrant,
Virtutem ergo simul, qui legis ora, vides.
Virtus ore nitet sursum, neque claudier intus
Est potis, hanc cernens, optime Lector, ama.

III. Filiae Sponsae.

HIc iuxta Matrem, niueo CATHARINA pudica
Ore rubet, sertis tempora vincta tenens.
Sic pratis, varios splendescere saepe colores
Aspicias, stellas, sicq; micare polo.
Picturata nitet vestis, mens lumine pulcrę
Virtutis; vestem desere, corda vide.
Pulcrior est virtus, residet quę pectore castę
Virginis: Inferior num CATHARINA suis?

IIII. Diuorum.

ID facies CHRISTI tabulâ depicta rubenti,
Et MARIAE Matris Virginis ora docent.
Aliger è coelo descendens inde salutat
Virgineum florem, pectore promit, AVE.
Hinc infans gremio genitricis ludit honesto:
Filius est Virgo, Virgo parensq; sua.
Quid memorē tabulas plures? stant ordine longo,
Et mentem recreant ô CATHARINA tuam.
Haec tu saepe vides, animo suspiria ducens,
Diuos & proauos fingere mente cupis.
Hos mirata Duces, flagras virtutis amore,
Quam versas animo nocte dieq; tuo.

Poëta ad Sponsum.

O felix

O felix coniunx, qui limina tanta subintras
PSONCORVM! gentis lumina quanta vides!
Quod superest, vlnis virtutem amplectere stirpis,
Et cole virtutem, dum pia fata monent.
Virtus coelicolis placet, & mortalibus aegris,
Virtus connubij foedera sancta iuuat.

Idem ad Sponsam.

HEus CATHARINA videsne tui pulcherrima Sponsi
Maiorum tabulas, claraq; facta simul?
Hoc est NICOLAVS STRADOMSKI sanguine cretus.
Horum imitatorem se facit ille bonum.
Ergo legens oculis ea Sponsa nouella tenellis,
Exulta, & Sponsi lumina cerne libens.
Ista frequens animum castum recreabit imago;
Hîc frons, hîc virtus emicat hercle domus.

ICON I. ATAVI Stradomsciae Domus.

EN antiqua, domus veteris, Stradomscia proles,
Maiorum profert signa stupenda manu.
Crinibus hic Atauus longis, barbaq; decenti,
Luminibus claris, laetior ore rubens.
Quem circum clypei leues, galeaeq; comantes
Pendent, splendescens ensis, & hasta ferox.
Hîc miles fuerat nitidis metuendus in armis,
Saepiùs hunc hostes extimuêre feri.

II. Tritaui.

QVid? Tritauum spectas oculis castissima Virgo?
Ille vir eximius, gentibus ille bonus.

Prisca Fides in eo viguit, candorq; Polonis
Proprius, hoc facies indicat, ora, genę.
Canicies veneranda seni, qui robore quondam
Claruit, obseruans iustitiæq; fuit.
O vtinam tales Patriâ generentur in almâ
Vsque viri. Virgo, dixit ab ore suo.

III. Proaui.

POst sequitur proauus cuncto memorabilis æuo
Quem pauit virtus florida lacte suo.
Palladis ille fuit comes, ille ferocis in armis
Bellonę, celeri mitior ingenio.
Profuit is Patriæque, suis & semper amicis,
Haud sibi se solitus dicere progenitum.

IV. Aui & Patris.

STant prope Magnus auus Sponsi, genitorq; beatis,
Moribus, his Maior laude quis oro fuit?
Ambo Sarmatici florebant lumina Regni,
Hercle viri nitidi munere Palladio.
Iustitię cupidi, robusti pectoris ambo,
Sedem in eis virtus fixerat alma suam.

V. AVIAE, NVRVS, NEPTIS.

POnè nurus, auię, neptes, sunt mente virili,
Moribus antiquis, multicolore sinu.
Vestibus en pictis, misso per corpora peplo:
Apparent telę, quas bene pinxit acus.
Apparent crebrę gemmę, lapidesq; rubentes
In digitis. Virtus sed mage fronte micat.
Fronte micat niueo velamine candida virtus,
Virtus non aurum laudis honore nitet.

VI. MATRIS.

MAter ab OZAROW claris dignissima factis,
Cui virtus SOPHIAE nomen habere dedit.
Quid meliùs Sophiâ, cui virtus iungitur acris?
Hæc Magno certè nata parente fuit.
Radomię CASTELLANI Soror inclyta clari
Te dedit, ast reliquis nobilitate parem.
Quin etiam in ZWOLEN ingens Capitaneus idem
Sub STEPHANO BATORI Rege potente fuit.
Ille audax Moschos contra cum Rege profectus
Ornauit Patriam corde, manu, ense, suam.
Tantis STRADOMSKI genitrix Maioribus orta,
Tantis, tam claris semper in orbe viris.
Sed propriâ potiùs (credas) virtute refulget,
Quę toto radijs corpore sola micat.

VII. FILII.

NICOLAVS natus post cunctos fronte virenti,
Et Frater, quem Mars horridus ipse tenet.
Ex his NICOLAVS Sponsus rubicundus in ore,
Cui labias blandas pinxit amæna Venus.
Sed mentem Pallas studijs decorauit honestis,
Virtutem labor, & contulit ipse DEVS.
Hic tuus est Sponsus CATHARINA pudica Virago;
Hunc oculis specta, mente magisq; bonâ.

VIII. DIVARVM.

HAsce penes tabulas sunt DIVÆ in fronte locatę:
Hic pudor ore rubet Virginitatis honor.
Inde Fides, dextram tendens, quam purpura vestit,
Hinc albet casto corpore nudus AMOR.

Insuper hinc nitido fulget Reuerentia vultu;
Inde grauis, falsi nescia vera Soror.
Quid? prior ex læto paradyso hinc pulsa virago,
Ob scelus infandum: Vir miser inde suus.
Hæc animo CATHARINA suo versare sagaci
Haud cessat, mores haurit & inde bonos.

Poëta ad lætitiam inuitat.

IAm satis egregijs tabulis pauistis ocellos,
Ludere iam Sponsos tempus & hora vocat.
PSONCIA gens gaude: stirps ô STRADOMSCIA pectus
Lætitiâ rumpas: namq; fit vna Domus.
Quę fuerant binę, vinclûm venêre sub vnum;
Sanguis coniunctus nunc duo corda iugat.
Nunc duo corda simul sanguis, duo corpora iungit,
Gentibus ex geminis vna fit ergo domus.
Ergo leues choreas iuuat ordine ducere cunctos
Alternis vicibus, mente sequente chorum.
Quisq; canat. Viuat cum Sponso Sponsa nouella;
Viuat, sed valeat prole beare domos.
Viuat Nestoreos annos STRADOMSCIA proles,
Viuat (AMEN) totidem PSONCIA stirpsq; dies.

CHORVS.

Viuat Nestoreos annos STRADOMSCIA proles
Viuat (AMEN) totidem PSONCIA stirpsq; dies.

HOSPITES.

Viuat Nestoreos annos STRADOMSCIA proles,
Viuat (AMEN) totidem PSONCIA stirpsq; dies.

Sponsi

Sponsi & Sponsæ,

CVM DIVIS SYNONIMIS COMPARATIO.

NIcolaus Diuus Catharinę proximus adstat
In cælo, factis id meruêre suis.
Floruit vna fides ambobus, & vna Tonantis
Gloria: Sic summo complacuère Deo.
In terris iamnunc eadem concordia surgit,
Nicolao propior stat Catharina suo.
Stat Catharina suo pulcherrima sponsa marito
Iam propior, sponsę statq; vir ipse suę.
Ambo florentes annis, & moribus ambo,
Ac veteris magno stirpis honore suę.
Sic propiùs numeri sunt, crede, nouemq;, decęq;,
Quiq; simul menses fontibus hisce fluunt.
Quàm bene NICOLAVS venit, & CATARINA sub vnũ
Connubium? Ambobus quàm rubor ore sedet?
Viuite felices animę, atque virentia corda,
Vnus Amor vobis regnet, & vna Fides.
Posteritas vobis sic crescet pulchra per omnem
Vitam. Sic bene vos dicet ab ore DEVS.

Carmen

CARMEN AD HOSPITEM.

De Iure Babinensium antiquissimo propter conuiuij hilaritatem.

EX HISTORIA STANISLAI SARNICKI.

Quid spectas oculis hospes? quae carmina speras?
Non ego Centauros, non Satyrósq; canam.
Iura tibi dicam veteris memoranda BABINAE:
Qui legis haec, risum, si sapis, ore tene.
Extat Lublinum prope villa, BABINA *vocatur,*
In planis campis pinguia rura fouens.
Vox BABA, *signat anum: sed dicitur inde* BABINA
Res ad anum spectans, quam bene tractat anus.
Res bene tractat anus tales, hoc cernere possis
Intendens mentis lumen & ingenij.
Nobilis hîc habitat cognomine PSONCA *vetusto*
Is retinet prisci iura sodalitij.
Aula nitet varijs tectis, quae GIELDA *vocatur*
Sarmaticè, Latiâ voce, tumultus erit.
Huc varij veniunt homines ex partibus orbis,
Et quod voce suâ quisq; meretur, habet.
Tum quod more suo vult, accipit, inde statimq;
Hospes discedit laetus honore nouo.
Hîc nil ridiculum nisi grato lumine cernas:
Ruricolae tales, qualis & hospes adest.
Priscorum ostentant hic ficta diplomata REGUM
CAESARIS *inuicti, Pontificisq; pij:*
Queis datur eximijs PSONCIS *bene plena facultas*
Quosq; Magistratus, officiumq; dare.

Officia

Officia hospitibus dare, sicut quisq; meretur;
Qualia sunt Regnis, Regibus atq; suis.
Cùm veniunt varij varijs ex partibus orbis
Heroës, PSONCAS *visere sponte solent.*
Vixq; suis postquam pedibus tetigêre micantem
GIELDAM; *en portantur fercula multa statim:*
Pocula deín vario iucunda sapore feruntur,
Hospes sit felix, quilibet ore cupit.
Si nouus est, magnum cratera haurire tenetur,
Vt miser ad leges aptior esse queat.
Ex oculis manant lacrymae, sparguntq; bibentis
Pectus, barbam, humeros, osq;, genásq; viri.
Tunc senior labijs perblandis PSONCA *profatur.*
Salue hospes: Vilkum lex tibi nostra dedit.
Suscipias animo grato, noménq; NOVACI
Obtineas: merito plus tibi Iura dabunt;
Vos alij Proceres, quos Iuppiter ipse benignus
Húc vexit; mentes exhilarate bonas.
Hinc procul abscedat maeror, sit lingua diserta:
Sicut enim verum dicere quisq; volet:
Sic etiam officium feret: amplo ornatus honore
In sua nae poterit tecta redire pede.
Dixit. At Heroës gaudentes, ordine cuncti
Verba serunt. Alij verba iocosa nimis:
Ast alij grauiter de magnis verba loquuntur.
Vt mos cuiq; suus, vox quoq; talis erat.
De Castris, bellisq;, prior narrauit ab ore:
Talia qui dicis, Dux eris, Hospes ait.

 Assurgunt

Assurgunt omnes, Magno et venerantur honore,
Proq; salute DVCIS pocula quisq; bibunt.
Alter Iustitiæ leges laudauit honestæ:
Tu IVDEX Terræ, PSONCA profatur, eris.
Acclamant omnes: sit IVDEX, omine fausto:
Hauriat; vt causas iudicet absq; morâ.
Tertius in medium profert, quo publica pacto
Res bene vertatur. PSONCA sed ore refert.
Iste Palatinus Magnus decorabit auitum
Regnum, consilijs vtilis ipse suis.
Omnes vnanimi delectum voce salutant
Plaudentes manibus, fausta precantur, ouant.
Quartus ait: Patriam tutandam à finibus, hostes
Contra: hîc robustâ sunt fabricanda manu
Mœnia, turrigeræq; arces. Sermonis hic Autor
Sit CASTELLANVS; nobilis hospes ait.
Hic de relligione inquit, temploq; sacrato:
Hospes eum donat Præsulis Officio.
Ille magis fidei pia dogmata tollit ad astra,
Mox ARCHIGNESNÆ Præsul honore datur.
Isthæc deniq; res BABINENSIS publica, cunctas,
Quæ Regnum decorant, donat honoris opes.
Quodq; dedit, firmat sacro diplomate Regum,
Vt quæ donantur munia, firma putes.
Canonicus, Consul bonus, hîc subitoq; creatur
Auratus miles, si grauia ore serat.
Hîc scribas videas, hîc Cancellaria surgit,
Hîc quoq; Marsalcus prodit honore potens.
Officium

Officium Regni nullum, Terræq; potestas
Nulla datur, quam non villa BABINA ferat:
Publica res potiùs, quâ non præstantior vsquam
Ante fuit, studijs condecorata bonis.
Hîc vnus contra: Syrij, Persæq;, Scythæq;,
Cecropidæ docti, Romulidæq; graues;
Tùm gentes aliæ, sic credo, fuêre priores,
Atq; ita pollebant nobilitate magis.
Annibales, & Alexandri, Pyrrhiq; potentes,
Alcidæ fuerunt nobiliore loco.
Responsum datur. Hi fuerant de corpore nostro,
Si nescis, cunctis (disce) BABINA prior.
Nostra BABINA prior longè Respublica cunctis,
Hæc Magnos genuit semper in orbe viros.
Quid taceam reliquos. qui verba iocosa locuti?
Conuenit herclè puto commemorare iocos.
Dum comedunt alij; residens hoc ordine quidam
Infit, quod referam corde fouete bono.
Sumite nunc leporem socij, cibus iste probatur:
Qui leporem comedit, pulcher in ore rubet.
Quin etiam syluis venabula stringere nouit,
Vrsos, cum ceruis, atq; ferire lupos:
Nam lepus est animal generosum corde valenti;
Hinc generosa facit pectora cuiq; viro.
Ante dies paucos vidi, cum dente leonem
Prostrauit valido, vicit & ore lepus.
Insuper et quidam leporem, quia sumpsit ad ignem
Tostum, iactauit se fore Magnanimum.
 Nec

Nec vox vana fuit: Nam denos cuspide ceruos,
Sex vrsos, totidem fixit & ille lupos:
Fixit, at vno ictu: Rex admirabilis ista.
Dum voces capiunt, conticuêre viri.
Hospes at: Hic sanè venator Regius esto:
Audax fraude sciet coedere namq; feras.
Inclamant alij, crescat venator, onustus
Sæpe feris: Regi compláceátq; suo.
Hîc alius; Multis, ego vidi lumine quondam,
Ex ciceris granis retia facta viris:
His anates noctu capiebant, quando relictis
Stagnis, ad pastum currere sæpe solent.
Sed miseri timuêre lupos, qui nocte vagantur,
Vocibus amissis heu rediêre domum.
Portabant equidem pictas sine voce volucres:
At toto trepidi corde fuêre viri.
Dum quidam volucres caperet super ardua montis
(Idem inquit) cernens antè volare grues,
Prosilit, atq; gruum duo cæpit colla volantûm,
Quem volucres pennis sustinuêre suis.
Ergo miser raptus trans æquora lata volauit:
Pigmæis fors iam bella timenda mouet.
Cuncti ridentes: placet, aiunt: Iste Vir esto
Auceps Regalis, stringere nouit aues.
Stringere nouit aues, artes & fingere doctas,
Tale quis aspexit lumine rete suo?
Quis volucres propter potuit de monte volare?
Quem pennis hominum sustinuere grues?

Vera quidem Socij fidi narrastis; at illud
Verius, his oculis cernere mi licuit.
Est NEPOLOMECIÆ stagnum latum, atq; profundum,
Quod circum viridans surgit vtrinq; nemus.
Hic lupus vndifluus succreuit corpore vasto,
Vt vitulum totum gluberet ore suo.
Deinde boues magnos cum cornibus ipse vorabat,
Et piscatorum corpora multa simul.
Deniq; cum cymbâ quendam deglubit hiulco
Rictu, vim tantam non superante viro.
Sæpe viri multi desunt, vituliq;, bouesq;:
Quæ sit causa mali, nescia turba fuit.
Accidit, vt stagnum fluctus creuisset in altos,
Postq; dies paucos, rursus abisset aqua.
En lupus hic quercus manet inter mole stupendâ:
Nam multis maior quercubus hercle fuit.
Ruricolæ veniunt, scindúntq; securibus illum
Duris. Res mira est: nauita subtus erat;
Atq; trahens vitam pisces capiebat in vdo
Ventre, boues etiam gramina dente suo
Carpebant, vituliq; simul. Mirabile dictu.
Audistis? quidam dixit ab ore suo.
Quod nobis munus donabunt iura BABINÆ?
Vox tua, quod meruit, protulit hospes, habe.
Te nos vnanimes dicemus ab ore Poëtam.
Quis meliùs dixit? Talia quisue dedit?
Sunt Oratores, sunt Historiciq; BABINAE;
Tu quoq; sis, felix ore Poëta sacro.

Hic KOCHANOVIVS *doctus*, REIVSq; *faceto*
Est vates calamo, TRICESIVSq; *sacer.*
Hic quoq; KMITA *locum retinet, qui carmine felix*,
Magnum Sarmatico nomen ad astra vehit.
Hic Vir magnus adest, gnarus depellere morbos,
Puluere nunc vario, nunc oleis, et aquis.
Hunc docuit varias artes euoluere Pallas,
Et facili gratos fingere mente iocos.
Hunc multi nôrunt, idem quoq; plurima nouit,
Magnus iudicio, magnus & ingenio.
Prisca sibi applaudunt antiquæ Iura BABINÆ
Hic est, hic Medicus, estq; Pöëta bonus.
His dictis, clamant omnes: sit nostra BABINA
Florens, æternos perpetuétq; dies.
Ordine quisq; bibat cupiens bona cuncta BABINÆ
Cum socijs, gremio quos fouet illa suo.
Talia dum fiunt fæcundo rure BABINÆ,
Publica cum dantur munia iure suo.
Res tandem placidas Regis peruenit ad aures
Augusti. Quis Rex publica iura tenet?
Ridens ille rogat. Respondit at vnus: Id absit
A nobis. Tu Rex, solus es hîc, et ibi.
Has voces risit placido Rex ore benignus,
Cognouitq; virûm, sed sine felle, iocos.
Absq; dolo mendaciolum cognouit amaro,
Inq; leues soluit Regia corda sales.
Talis semper erat Respublica crede BABINAE,
Tales, tumq; graues protulit illa viros.

Sed

Sed de iure satis. Sponsi celebremus honorem;
Et sponsam placeat condecorare nouam.
Viuant felices ambo, sed prole beati,
Quos tu condecora iure BABINA *tuo.*
Ducite nunc socij choreas, hîc quotquot adestis,
Hunc læti vultu concelebrate diem.
Viuat Sponsus IO. *Viuat quoq; Sponsa nouella,*
Ambo per vitam pectora læta ferant.
NICOLAVS SPONSVS *clarâ de stirpe* STRADOMSKI
Viuat: mox stirpem tollat in astra suam:
Viuat Sponsa simul PSONCORVM *stirpe profecta,*
Digna suâ felix est CATHARINA *Domo.*
Nox ruit interea, dum carmina fundimus ore:
Expedit, vt teneat carmina nostra quies.

Ad Nobilem Dominum NICOLAVM CHARMESKI.

Sponsi NICOLAVS CHARMESKI *fidus amicus*
Est, ingens mentis gloria, lausq; meæ.
Simplicitas animo est eius, pudor ore coruscus,
Verax ingenium, nescia mensq; doli.
Ille colit iustum, laudem iuuat ille Tonantis,
Et Patriam gentis dirigit ille domum.
O vtinam redeas pro multis fortiter ausis
Ad nos Charmeski lætus honore nouo.
Sponte Babina viro digno da munus, et ipsum
Tolle, pedem referat laudis honore nouæ.

Qua

Quæ maiora meo fuerint solatia cordi?
Dat meritis iustum iure Babina decus.

Interpretatio Iuris.

Omnis homo mendax: cantat sacra pagina verum:
Hoc fundamento ius Babinense viget.
Publica res etiam stat. Queis mendacia terris
Haud surgunt? Quiuis dicere vera timet.
Blandus adulator spe lucri, vertit et aures
Et sensus Domini: Regnat vbiq; dolus.
Ergo gerunt omnes nunc munia publica ficté:
Sic Babinæ cunctos iura tenere putes.